

## TRACTATUS IV.

## DE PECCATIS.

## CAPUT I.

## DE NOTIONE ET DIVISIONIBUS PECCATI.

**148. DEFINITIO.** Peccatum, in sensu maxime proprio, definiri potest: libera transgressio legis divinae.

Itaque ad peccatum proprie dictum requiritur:

1º *Libertas indifferentiae* qua in potestate hominis sit actionem facere vel omittere. Ideo a peccato excusantur ea quae homo patitur ita ut neque a voluntate sint; neque ab ea acceptentur, quales sunt saepe motus carnis, vel quae impedit nequit, quales sunt quandoque motus irae vel concupiscentiae tam vehementes ut rationis usum perturbent. Solent quidem motus concupiscentiae vocari peccatum: hoc autem intellegendum esse non formaliter, sed dispositive et causaliter, quia concupiscentia ex peccato est et ad peccatum inclinat, definit Conc. Trid. Sess. 5. decr. de pecc. origin.

2º *Lex divina.* Peccatum enim proprie dictum dari nequit ubi non violatur stricta obligatio; haec autem etiam in legibus humanis a Deo oritur et ideo transgressio legis humanae, quae peccatum constituit, tandem ad transgressionem legis divivae reducitur.

Natura peccati jam in antecessum declarata fuit in Tr. de Act. hum. praesertim n. 30 seqq. ubi de actuum humanorum moralitate dictum est. Nam, ut docet S. Thomas (1. 2. q. 71. a. 6): "Peccatum nihil aliud est quam *actus humanus malus.*"

**149.** Praesertim cavendum ne cum peccato confundatur **imperfectionis moralis**, quae definiri potest: libera transgressio aut omissionis consilii divini. Haec dicitur a multis *positiva* quando positive repugnatur consilio et inspirationibus divinis intensioribus, quibus consultetur aliquod opus bonum non praeceptum; *negativa*, quando inspirationes

illae sunt magis remissae, ideoque illa positiva repugnantia non habetur. (Struggl. tr. 2. q. 1. n. 13)

Imperfectiones illae, etiam positivae, per se nulla peccata, neque venialia, constituunt: siquidem peccatum absque legis transgressione repugnat. Attamen hujusmodi imperfectionibus accedere quandoque potest peccatum ratione motivi pravi ob quod homo consilium illud omittere statuit. Lex enim naturalis jubet ne nos motivo irrationali in actibus humanis determinemus. Exemplum esset illius qui opus melius omitteret ut pro solo lubitu de actibus suis disponeret, vel ductus immoderato amore quietis corporalis. Cfr. n. 40; Lehmk. l. n. 40.

**150. DIVISIO.** Sufficiet explicasse sequentes divisiones, in quibus vox peccati non semper habet sensum suum maxime proprium.

1º Peccatum *actuale* illud est quod supra definitum est, et hac voce simpliciter adhibita intelligi solet; peccatum *habituale* (praescindendo a disputatione scholastica circa ejus naturam) est peccatum actuale moraliter perseverans, praesertim in reatu culpae.

2º Peccatum *formale* committit qui libere legem divinam transgreditur prout ipsi a conscientia exhibetur, sive lex illa objective existat, sive tantum subjective existimetur existere; *materiale* peccatum committit qui nesciens vel nolens ponit actionem contrariam legi objective existenti. Formali tantum competit definitio data. Cfr. n. 31.

3º Peccatum dicitur *contra Deum, contra proximum* vel *contra seipsum*, prout adversatur virtutibus quarum objectum *immediatum* est Deus, proximus et bonum proximo debitum, ipse agens et bonum supposito proprio debitum. Exempla sunt perjurium, furtum, ebrietas. Patet omnia peccata saltem mediate esse contra Deum.

4º Peccatum dicitur *ignorantiae, infirmitatis, malitiae* pro varia ratione qua committitur: ignorantiae, si ex ignorantia vincibili procedit; infirmitatis, si voluntas ad consensum tracta est gravi tentatione vel motione appetitus sensitivi; malitia, si, nulla ignorantia excusante nec magna tentatione incitante, plena deliberatione et libertate committitur. Licet triplex illa species ad peccatum mortale pertingere possit, manifeste peccata malitiae cetera gravitate superant. (Struggl. l. c. n. 11)

5º Peccatum *commissionis* est transgressio praeepti negativi, seu positio actus prohibiti, ex. gr. furtum; peccatum *omissionis* est transgressio praeepti positivi seu omissio actus hic et nunc ex lege ponendi, ex. gr. auditionis Sacri die festo.

6º Peccatum dicitur *cordis*, quando sola mente et voluntate perficitur, ex. gr. delectatio morosa; *oris*, quando verbo completur, ut turpiloquium; *operis*, quando opere consummatur, ut fornicatio.

De divisione peccati in mortale et veniale, ob rei momentum, speciatim dicetur cap. sequenti.

**151.** De natura peccatorum ignorantiae per se plane sufficientia quae de voluntario in causa et de ignorantia explicata sunt in Tr. de Act. hum. Juvat tamen, ob controversias quae passim apud AA. ex. gr. S. Alph. (l. 2. n. 4) referuntur, breviter dicere de illa olim famosa quaestione : utrum ad peccatum mortale, vel melius, ad peccatum quodcumque requiratur *actualis* et *expressa* malitia actus, an sufficiat *virtualis* et *interpretativa*, in hoc sita quod homo teneatur et possit malitiam actionis cognoscere, quamvis actualiter non advertat.

Jamvero (ut fusius exponit Ball. P. n. 17 seqq.) omnis discordia AA. de hoc argumento inde orta est quod diverso sensu illam advertentiam virtualem seu interpretativam intellexerunt. Quidam enim hac locutione designant inadvertentiam ex obliuione naturali et inconsiderantia inculpabili : quare rectissime negarunt hanc ad peccandum, praesertim mortaliter, sufficere. Alii autem iisdem verbis intellegunt inadvertentiam ex inconsideratione et negligentia culpabili : quare non minus recte affirmarunt hanc a peccato non excusare. Ideo vix ullus A. gravis quoad rem a reliquis dissentit. S. Alph. (l. c.) expositae controversiae ita finem imponit : " Hinc concludendum, quod opinio eorum (si forte adsunt) qui dicunt operanti adversus legem imputandos esse omnes errores quos committit, etiamsi nulla unquam intercesserit actualis advertentia, nec directa, nec indirecta, in se vel in causa, saltem in confuso, sed tantum adfuerit advertentia interpretativa, in hoc dumtaxat consistens, quod ipse debuit et potuit sola potentia physica et remota malitiam advertere : haec opinio nullo modo sustineri potest. " Reapse enim adversatur primis principiis de moralitate actuum humanorum. Hoc tantum veri huic opinioni subest, ut advertit Lehmk. (l. n. 232), quod in iis quae facillime advertuntur et habitualiter cognoscuntur, vix poterit abesse illa directa advertentia quae sufficiat ut malitia, saltem ob voluntariam negligentiam, contrahatur. Supponendum tamen est substantiam actus malitiam perfecte apprehendi. Ita sacerdos qui cum plena deliberatione contra castitatem peccat, vix non necessario attendet ad malitiam sacram simul committendam.

## CAPUT II.

## DE PECCATI GRAVITATE ET LEVITATE.

**152.** Peccati mortalis et venialis differentia saepe ex utriusque effectu desumitur. Mortale scil. illud dicitur quod mortem animae infert, eam privando gratia sanctificante, quae animae nostrae vita super-

naturalis est ; veniale autem quod non infert animae hujusmodi mortem et facile veniam obtinet, poenam tamen temporalem meretur.

At differentia *intrinseca*, quae effectum et poenarum differentiae tamquam motivum praesupponitur, constituenda est in diversa ratione inordinationis quae peccati rationem complet. Peccatum scil. mortale fit quando tanta est inordinatio ut anima per eam ab ultimo fine, scil. Deo cui per caritatem unitur, avertatur ; veniale autem est quando inordinatio peccati usque ad talem aversionem non pertingit et propterea, *ex ipsa natura sua*, reparabilis est. (S. Th. 1. 2. q. 72. a. 5)

Divisio peccati in mortale et veniale non est generis in suas species, sed ejus quod est commune *per analogiam*, quod, secundum perfectam rationem praedicatur de uno dividentium, et de altero imperfecte et secundum quid : quia ratio peccati in solo mortali perfecte reperitur, (2 dist. 42. q. 1. a. 3)

**153.** Respectu habito tantum ad **elementum objectivum**, peccata tripliciter dividi solent : in peccata gravia ex toto genere suo, in peccata gravia ex genere suo, et in venialia ex genere suo.

*Mortalia ex toto genere suo* dicunter ea quae, ex sua natura seu ratione specifica, semper sunt objective gravia, puta quae sunt directe contra Deum vel aliquam divinam perfectionem, ut haeresis, desperatio, Dei odium, etc.

*Mortalia ex genere suo* dicuntur ea peccata quorum gravitas vel levitas a quantitate materiae pendet. Haec, spectata ratione sua specifica, ad gravitatem vel levitatem peccati indifferentia sunt : quare, si usus id ferret, aequo jure dici possent venialia ex genere suo. Talia sunt quae adversantur justitiae, caritati et plerisque virtutibus.

*Venialia ex genere suo* dicuntur ea peccata, quae, dum manent in ratione sua specifica, numquam sunt mortalia. Talia sunt quae adversantur legibus vel virtutibus quae per se sub levi tantum obligant, ex. gr. patientiae, fidelitati, etc. Si quando hujusmodi peccatum fieret mortale, gravitas oriretur ex alia specie quae priori accederet, ideoque aequivalenter novum peccatum constitueret, ex. gr. si peccato contra fidelitatem accederet injustitia.

Summatim : mortalia ex toto genere suo dicuntur ea quae necessario sunt mortalia ; mortalia ex genere suo, quae vel mortalia vel venialia esse possunt ; venialia ex genere suo, quae nequeunt esse mortalia.

**154.** Ad peccatum mortale constituendum, tres **condiciones** requiruntur :

I. Ex parte *intellectus*, plena et perfecta advertentia ad malitiam gravem actus et objecti.

Non est autem opus ut actu *formali* et *reflexo* apprehendatur ille actus tamquam gravis Dei legislatoris offensa. Nam, saltem moraliter, fieri nequit ut homo plene ratione utens non sufficienter apprehendat gravem Dei offensam fore id quod tamquam graviter in honestum concipit. Quare peccatum *philosophicum*, ut vocant, erit practice etiam peccatum theologicum. Huc pertinet prop. 2<sup>a</sup> ab Alex. VIII damnata : "Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi : theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque poena aeterna dignum. „Ratio hujus damnationis duplex est : prior, quia haec propositio supponit dari ignorantiam invincibilem seu excusabilem Dei, etiam ut legislatoris et vindicis male factorum, quae alioquin peccans non potest non advertere esse illicta atque adeo prohibita a quadam voluntate superiore ; posterior, quia non distinguit casus ignorantiae vincibilis et invincibilis. Cfr. Viva in hanc prop. n. XXV.

Sufficit autem attentio *directa* ad gravem actus malitiam, etiam sine temporis mora : nulla enim ratione postulatur ut ad eam plures vel jugiter inter agendum attendatur. In dubio de perfecta advertentia aut consensu, unusquisque judicet de culpis suis e ratione qua se gerere solet : si habitualiter peccatum mortale plurimum horret atque in rebus manifestis et externis numquam vel rarissime admittit, arbitretur se venialiter tantum peccasse ; si vero facile peccata gravia admittere solet, haec saltem vehemens praesumptio est eum, etiam in casibus dubiis, non caruisse plena advertentia et consensu.

### II. Ex parte *voluntatis* requiritur consensus perfecte liber.

Ratio hujus et praecedentis condicionis est, quod, spectata fragilitate humana, non videtur decere divinam sapientiam et bonitatem ut aeternis suppliciis hominem addicat propter actum cuius malitiam non perfecte cognoverit et voluerit.

### III. Ex parte *objecti* requiritur gravitas materiae.

Ubi enim materia undequaque levis est, offensio plerumque non reputatur gravis. Non mediocris autem labor est determinare quaenam materia sit objective gravis. Qua de re suis locis dicetur, ubicumque aliqua practica difficultas occurret ; hic autem sufficiet quasdam generales judicandi normas praestituisse :

1<sup>o</sup> In lege naturali vel divina, imprimis videndum num gravitas cum certitudine demonstrari possit e Scriptura, Traditione, vel Ecclesiae

judicio manifestato per damnationem propositionum, constantem et uniformem scholarum theologicarum doctrinam, etc. In legibus vero positivis attendendum quoque ad criteria data n. 107.

2<sup>o</sup> Ipsa materia in se consideranda est, et investigandum num graviter contrarietur Deo ejusque perfectionibus aut bono quod proximo vel nobis metipsis procurare debeamus.

3<sup>o</sup> Ubi nullo ex his criteriis gravis malitia peccati evidenter appareat, haec gravitas non est adstruenda. Ita S. Alph. (l. 2. n. 52), citans haec S. Antonini verba : "Nisi habeatur auctoritas expressa S. Scripturae aut canonis, seu determinationis Ecclesiae, vel evidens ratio, nonnisi periculosissime (peccatum mortale) determinatur... Nam, si determinetur quod ibi sit mortale, et non sit mortale, peccabit contra faciens, quia omne quod est contra conscientiam aedificat ad gehennam. "

### 155. Ad peccatum leve constituendum, duae requiruntur *condiciones* :

I. *Lex aliqua*, saltem sub levi obligans : nam sine lege dari nequit veri nominis peccatum.

II. *Advertisentia aliqua*, saltem *semi-plena*, ad actionis malitiam et *consensus* saltem *semi-deliberatus* : nam sine his, nulla culpa in foro conscientiae exsurgere potest. Quandoque tamen de peccatis indeliberatis sermo fit. Sed, ne in errorem impingatur, verbum *indeliberati* improprie accipiendum est pro semi-deliberato, vel, si proprio sensu accipitur, intellegenda est actio quae, omni deliberatione in se carens, e praecedenti negligentia orta est. In hoc posteriore sensu, sola omissione diligentiae, ex. gr. in oratione, imputabilis est. (Lehmk. I. n. 221)

### 156. Peccatum per se mortale fieri potest *veniale* praecipue his rationibus :

1<sup>o</sup> Ex *conscientia erronea* qua quis putat id quod objective peccatum grave est, ex. gr. perjurium assertorium in re levi, non esse nisi peccatum leve. Si enim conscientia invincibiliter erronea ab omni peccato excusare potest (n. 48), a fortiori a gravitate peccati excusare poterit.

2<sup>o</sup> Ex *imperfecta advertentia* ad actus malitiam, ut contingit in semi-vigili, semi-ebrio, ad alias simul res plurimum attendente, etc.

3<sup>o</sup> Ex *imperfecto consensu* voluntatis, ut contingit in eo qui circa objectum sub gravi prohibitum non plene delectatur. In dubio autem de perfecto consensu, signa consensus tantum semi-pleni censentur aetas puerilis, conscientia alioquin timorata vel etiam scrupulosa, consuetudo iisdem temptationibus resistendi, dissensus elicitus quando rei malitia plene apprehensa fuit, etc. (Struggl, de Pecc. q. 2. a. 1. n. 6)

4º Ex parvitate materiae, ut liquet e condicionibus ad peccatum mortale requisitis. (n. 154, III)

**157. Peccatum per se leve fieri potest grave :**

1º *E conscientia erronea* qua quis mortale reputat quod objective veniale tantum est, ex. gr. minimum carnis frustulum die abstinentiae comedere. Nam qui cum tali conscientia hujusmodi actionem ponit, consentit in peccatum grave, sibi per conscientiam propositum. Similiter dicendum ubi quis serio dubitat utrum actio aliqua sub gravi an sub levi tantum sit prohibita, et temere eam ponit. (n. 54)

2º Ratione *finis operantis* vel intentionis graviter malae. Exemplum habes in eo qui mentitur ut furtum grave patrare possit, vel animo paratus est ad committenda peccata mortalia potius quam peccatis per se levibus, ex. gr. gulae, nuntium mittat. Attamen, ut peccatum contrahatur, necesse est ut ista habitualis dispositio in actu saltem internum prodeat.

3º Ratione *periculi proximi* labendi in mortale cui quis se exponit per rem venialiter malam, ex. gr. per lectionem leviter turpem.

4º Ratione *scandali gravis* ex actione leviter mala orituri.

5º Ratione *contemptus formalis* quo violatur lex sub levi obligans. (n. 108)

6º Ratione *materiae* cum materia aliorum venialium *coalescentis*, ex. gr. complendo materiam gravem quae requiritur ad peccatum mortale contra legem jejunii vel praecepsum non furandi. Impossibile autem est ut plura peccata venialia *immediate* in seipsis coalescant seu per sui multiplicationem peccatum mortale efficiant, cum analogice tantum mortale et veniale convenient. Cfr. Trid. Sess. 6. c. 11.

**158. QUAER. I.** Num graviter peccet qui proponat committere omnia venialia quorum occasio se obtulerit.

**RESP.** Probabiliter leviter tantum peccaret, secluso contemptu formali vel periculo labendi in mortale: quia hujusmodi propositum tantum remote ad peccatum mortale dicit. (S. Alph. l. 5. n. 12) Immo, etiamsi vitatio venialium *in genere* esset medium necessarium ad periculum proximum peccati gravis vitandum, non esset gravis obligatio ea vitandi: eo quod medium hoc esset indeterminatum et difficile. Aliter dicendum foret si experientia constaret periculum proximum peccati gravis oriri e peccatis venialibus *certae speciei*. Cfr. Lugo, de Poenit. disp. 15. n. 50.

**159. QUAER. II.** Num graviter peccet qui deliberat num aliquod peccatum grave commissurus sit, quod tamen non exsequitur.

**RESP.** Hujusmodi deliberatio peccatum grave efficiet si eo momento quo voluntas anceps haesit, homo plene advertit actionem propositam esse graviter malam et omnino deliberate eligit anceps manere. Ita enim libere discedit ab illo firme proposito quo adstringimur Deum super omnia diligere et nihil quod ejus amicitiam abrumpat admittere. (Sanch. in Dec. l. 1. c. 1. n. 16) Post factum saepe manebit dubium num adfuerit illa plena advertentia et libertas: tunc judicandum erit ex habituali hominis dispositione, ut jam supra (n. 154) dictum est.

**160. QUAER. III.** E quibus principiis judicandum sit de gravitate relativa peccatorum, praesertim mortalium.

**RESP.** Quaestio haec duplice intellegi potest. Primo quaeri potest qua ratione dijudicanda sit gravitas alicujus peccati *concrete* spectati, prout a tali homine elicetur. Huic quaestioni ut satisficeret, attendendum esset non tantum elementum peccati objectivum, sed et subjectivum: nempe ponderanda forent ea omnia quae voluntatis malitiam *in hoc determinato casu* augere vel minuere potuerint. At cum tot elementa saepe obscura in hoc iudicio formando concurrere debeant, aegre ab erroribus quis cavebit. Cfr. n. 150, 4º.

Altero sensu, inquiri potest undenam oriatur major minorve peccati *specifice inspecti* malitia, abstrahendo a concretis peccantium condicionibus, ex. gr. utrum gravius peccatum sit blasphemia an communio sacrilega, furtum an fornicatio. Quaestio sic intellectae solutio non ita difficilis est, neque utilitate practica pro confessario vel concionatore morali caret. Eam sat fuse tractat Lehmk. (Vol. I. ad calcem), qui has regulas generales statuit:

1ª Reg. Peccatum eo gravius est quo nobilis et altius est *motivum formale virtutis* cui opponitur: nam “ quanto id contra quod peccatur est majus, tanto peccatum est gravius. „ (3. q. 80. a. 5) Intra ambitum ejusdem virtutis, graviora sunt, ceteris paribus, peccata contra legem *prohibentem* quam contra legem *praeципientem*.

2ª Reg. Eo gravius est peccatum quo nobilior est *persona contra quam* dirigitur. Sic *per se* graviora sunt peccata quae directe contra Deum quam quae directe contra hominem committuntur. Cfr. etiam S. Thomam, l. c. ubi ostendit communionem sacrilegam non esse omnium peccatorum gravissimum.

3ª Reg. Eo gravius est peccatum quo majoris momenti est *bonum quod peccato laeditur*. Haec regula primaria est in peccatis contra proximum. Ideo ex. gr. gravior est contumelia vel calumnia quam furtum.

Res autem difficilior fit quando variae peccatorum species in uno actu pravo reperiuntur. Sapienter Lessius (de Just. et J. l. 4. c. 3. n. 93)

agens de relativa gravitate peccatorum luxuria, scribit : " Hae species (contra naturam) sunt peiores quam reliquae supra dictae (juxta naturam), si considerentur qua parte sunt contra castitatem, non autem si spectentur absolute, ut involvunt malitiam alterius speciei contra justitiam, pietatem vel religionem : simplex enim pollutio vel inordinatus concubitus cum uxore non est absolute majus peccatum quam concubitus cum matre vel cum moniali. " Insuper in praxi non licet abstrahere a subjectiva malitia quae peccatum concretum semper comitatur. Hoc autem elemento saepe plurimum immutabitur judicium de gravitate peccatorum, qualia communiter fiunt, ferendum. Sic recte advertit Lehmk. (I. n. 870) subjectivam malitiam fornicationis saepissime majorem esse quam pollutionis malitiam, " quia et pudor multo magis exuitur et actus multo plus voluntarii habet ; quare in canonibus poenitentialibus constanter pro fornicatione major poenitentia injungi consuevit quam pro pollutione. "

**161. QUAER. IV.** Quomodo confessarius dignoscere possit in dubiis utrum poenitens, praesertim in peccatis internis, graviter an leviter peccaverit.

**RESP.** 1º Prudenter, pro poenitentis capacitate, interroget num habuerit illam plenam advertentiam plenumque consensum de quibus supra dictum est. Cfr. n. 156.

2º Si (ut crebro continget) responsa poenitentis dubium non tollunt, judicet secundum praesumptionem quam ei suppeditat reliqua confessio vel vita poenitentis.

3º Ne frustra vexet poenitentem interrogationibus quae certe intentum non assequuntur, ut cum poenitens rudis est et confessario ignotus. Neque ullum incommodum in eo est quod judicium hoc Deo relinquat, saltem ubi non agitur de periculo in futurum cavendo.

### CAPUT III.

#### DE DISTINCTIONE PECCATORUM SPECIFICA ET NUMERICA.

**162.** In determinanda peccatorum distinctione quoad speciem et numerum, jugiter prae oculis habendus est scopus intentus ; nempe ut poenitens a confessario dirigi et adjuvari possit in servanda lege quam Christus, instituendo sacramentum poenitentiae, dedit confidendi " omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et

diligenti praemeditatione habeatur, et circumstantias, quae peccati speciem mutant. " (Trid. Sess. 14. can. 7) Cfr. Vol. II. n. 283 seqq. Minus ergo attendendum ad subtilem quasdam et metaphysicas distinctiones quae ab AA. quibusdam, rem practicam nimis speculativa ratione considerantibus, inventae sunt. Nam " dum Christus D<sup>nus</sup> imposuit obligationem confidendi speciem et numerum peccatorum, utique voluit ut ea confileamus juxta sensum communem, non vero juxta illas metaphysicas distinctiones quae a sensu communi recedunt. " (Berardi, Praxis Conf. n. 37)

Tractabitur hoc argumentum in praesenti loco per regulas universales, quantum fieri poterit : multa vero quae difficultatem facessunt, praesertim quoad specificam distinctionem, opportunius in decursu Theologiae Moralis suo loco elucidabuntur.

#### § I DE DISTINCTIONE SPECIFICA.

**163.** Communiter AA. triplicem regulam statuunt qua de peccatorum specificie diversa malitia judicetur. Licet autem controverti possit quae-nam ex illis sit magis generalis seu aptior formula ad casus omnes comprehendendos, practice satis constat singulas ad finem intentum utiles esse, et expedire ut, pro natura argumenti, nunc ad hanc, nunc ad illam recurritur. Cfr. Ball. P. n. 233. Sunt autem sequentes :

**REGULA I.** Peccata specificie differunt quando versantur circa *objecta formaliter diversa*. Cfr. S. Th. 1. 2. q. 72. a. 1.

In hac regula peccatum consideratur secundum entitatem positivam seu quatenus est actus humanus. Jamvero actus humani specie differunt secundum *objecta formalia*. (n. 34)

**REGULA II.** Peccata specie differunt cum opponuntur *diversis virtutibus*, ex. gr. fidei et spei, vel *eidem virtuti per extrema opposita* scil. per excessum et defectum, ut spei opponuntur praesumptio et desperatio, vel *officiis moraliter diversis ejusdem virtutis*, ut homicidium, furtum, adulterium, detractio, quae omnia adversantur justitiae, sed singula modo speciali et, e communi aestimatione, moraliter diverso eam virtutem laedunt.

**REGULA III.** Peccata specie differunt cum opponuntur *legibus moraliter diversis* seu quae ex motivo diversae virtutis latae sint.

Non sufficit ergo ut eadem lex feratur a pluribus legislatoribus, sicut ex. gr. adulterium lege tum naturali, tum ecclesiastica, tum civili pro-